



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

7. De prædicatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

species sit illud, quod prædicatur de pluribus numero differentibus &c. ergo &c.

Respondetur negando antecedens, & distinguendo eius probationem: definiuntur seu describuntur per prædicari actu, nego: per prædicari potentia seu aptitudine, quod conuenit cum prædicabilitate, concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque quando dicitur, quod genus sit illud, quod prædicatur de pluribus, hoc debet sic intelligi, ac si diceretur quod genus sit illud, quod aptitudine prædicatur, hoc est, quod potest prædicari.

Et si queratur unde colligatur hæc expositio? Respondetur illam colligi ex definitione vniuersalis vt sic, quæ datur per prædicabile, & non per prædicatur: definitiones autem specierum debent esse conformes definitioni generis seu superioris, quantum ad rationem communem.

CONCLUSIO IV.

77. Natura sit vniuersalis logicè per actum, quo apprehenditur inexistere multis sine iudicio. Hæc est iuxta auctores quartæ sententiæ contra reliquas sententias. Probatur, quia per talem actum, & non ante, fit in potentia proxima, vt prædicetur de pluribus: ergo per talem actum fit vniuersalis logicè. Probatur antecedens, quia non potest intellectus prædicare aliquid vere de pluribus, nisi apprehendat illud esse in pluribus; & statim ac apprehendit illud esse in pluribus, potest illud prædicare de illis: ergo per talem actum & non ante, natura sit proxime prædicabilis.

Confirmatur, quia non est maior ratio eür intellectus naturam humanam abstractam à singularibus prædicaret de Petro, quam de Bucephalo, nisi quia apprehendit ipsam in Petro, & non in Bucephalo: ergo, vt prædicet debet sic apprehendere, & consequenter non erit proxime prædicabilis, nisi sic apprehendat.

Obiicitur: secundum Scotum natura sit vniuersalis logicè per comparisonem intellectus: ergo non fit vniuersalis per apprehensionem.

Respondetur, Doctorem loqui de comparatione simplicis, quæ nihil aliud est, quam apprehensio vnius in alio: non vero de comparatione iudicativa: unde nego consequentiam.

Ex his habetur secundam intentionem, quam formaliter dicit vniuersale logicum, esse apprehensionem naturæ in pluribus, secundum quod denominat illam naturam sic apprehensam, & consequenter illam apprehensionem in concreto definiri per se in definitione vniuersalis logici, vt postea melius apparebit.

QVÆSTIO VII.

De Prædicatione.

79. Quia explicuimus vniuersale logicum per prædicabilitatem, & hoc nequit intelligi, nisi intelligatur prædicatio, quæ est actus prædicabilitatis, ad quæ prædicabilitas dicit ordinem; consultum videbatur, antequam ulterius progrediamur, aliqua hic de prædicatione proponere, idque breuiter & quantum fieri potest absque controuersis, quia alia vix potest esse quam de nomine.

Itaque supponendum primò prædicationem nihil aliud esse quam actum intellectus, quo aliquid de alio iudicat, vt cū dicitur: *homo est animal; Petrus est albus*; unde aliquid esse prædicatum de alio actu, non est aliud formaliter, quam denominatio extrinseca desumpta ab huiusmodi iudicio: vt communior & mihi verior sententia tenet, vel relatio rationis resultans in re prædicata ad tale iudicium, de quo parum est curandum, vter dicendi modus sit verior: quantum autem ad ipsam veritatem nostra sententia ex dictis de ente rationis constat.

80. Supponendum secundò prædicationem veram & affirmatiuam, de qua sola hic agimus, adæquate diuidi in formalem & identicam. *Prædicatio identica* explicatur ab aliquibus esse illa, quæ idem de seipso prædicatur, vt cū dicitur: *homo est homo; Petrus est Petrus*; sed non est bona hæc explicatio, quamuis enim bene verum sit, quod omnis talis prædicatio sit identica; tamen datur aliqua identica, quæ non est talis, præsertim in sententia Scoti, nam hæc est identica & vera: *Miser cordia diuina est in iustitia*

diuina: neque enim est formalis, quia alias esset formaliter vera: secundum autem Scotum est tantum identice veritas deinde secundum auctores communiter hæc est prædicatio identica: *album est dulce*; & tamen idem non prædicabitur de se in illa. Itaque explicanda est propositio identice esse illa, vel quæ idem prædicatur de se ipso; vel quæ aliquid prædicatur de alio, quod non habet se per modum formæ ipsius sue essentialis, siue accidentalis: & hinc est, quod hæc prædicatio vocetur identica: album est dulce, quia dulcedo prædicatur de albo vere, quadoquidē vere coniungatur cū ipso & concipiatur vt coniuncta, non tamē se habet per modum formæ ipsius dulcedinis, sed per modum formæ subiecti quod afficitur dulcedine. Quod si placet vnica descriptione non distinctiua explicare prædicationem identicam, dicatur esse illa, quæ aliquid prædicatur de aliquo, quod non includitur in ipso per modum formæ vllius: hæc enim explicatio comprehendit etiā illam quæ idem prædicatur de se ipso, neque enim prædicatur de se vere vt forma sui ipsius, vt patet.

81. *Prædicatio formalis* est illa, quæ aliquid prædicatur de aliquo per modum formæ, vt quando dicitur: *Petrus est homo; homo est animal; paries est albus*; tunc autem prædicatur aliquid per modum formæ, quando prædicatur per modum alicuius prædicati essentialis aut intrinseci, hoc est per se primo competentis rei, vel per modum alicuius proprietatis aut accidentis recepti in illa re, siue immediate, vt cum dicitur: *substantia est quantitas*; siue mediate, hoc est mediante aliquo alio quod in illa recipitur, vt cū dicitur, substantia est alba: siue etiam denominatis ipsa extrinsece, vt cū dicitur: *paries est cognatus, aut visus*. Hæc autem prædicatio formalis subdiuidi solet in prædicationem directam, & indirectam. Prædicatio directa dicitur illa, quæ quod aptius est prædicari prædicatur; indirecta quæ prædicatur quod minus est aptum: illud autem censetur magis aptum prædicari, quod habet se per modum superioris seu magis communis; aut quod est forma siue essentialis, siue accidentalis, respectu illius, de quo prædicatur, unde hæc erunt prædicationes formales directæ: *homo est animal; homo est albus; homo est risibilis*; hæc autem indirectæ: *risibilis est homo; animal est homo; album est paries*.

82. Dubitari autem posset, an hæc prædicatio sit directa, animal est rationale: sed existimo non esse, quia loquendo de animali, vt sic, quod significatur per animal in illa propositione, falsum est, quod sit rationale; alias enim omne animal esset rationale. Similiter dubitari posset, an hæc sit prædicatio formalis: *aliquid animal est homo*, aut hæc *aliquid animal est rationale*: & tenendum est, quod sic, quia homo & rationalitas est quid superius ad aliquid animal singulare, unde bene possunt de tali animali prædicari directæ.

Quod si aliquis alio modo explicaret prædicationes has, aut alio modo de iis discurreret, non esset multum eius contendendum, quia quæstio esset de nomine: sed dum tractaretur de re, conueniendum potius cum ipso esset in sua conceptione, vt res ipsa examinaretur, quod semper in quæstionibus de nomine consultissime fieret.

83. Modo restat examinandum quomodo concreta & abstracta de se inuicem prædicantur. Pro quo aduertendum concretum terminum, si capiatur vocaliter, esse vocem aliquam, quæ significat rem per modum adiacentis alicui, seu quæ significat rem, per modum habentis aliam rem, vt v. g. vox *album*, quæ significat albedinem per modum adiacentis alicui, seu aliquid per modum habentis albedinem, idem enim est album, ac habens albedinem, seu albedo, vt adiacens alicui. Si vero accipiat concretum pro re, & non pro voce, non est aliud, quam ipsa res, prout significatur per vocem concretam.

Abstractum, si capiatur pro voce, est vox aliqua, quæ significat rem non per modum adiacentis alicui, vt vox *album*, quæ significat albedinem secundum se absque ordine ad aliud, cui adiaceret: si vero capiatur pro re, erit res significata per talem vocem, vt significatur per illam, hoc est, secundum se considerata absque adiacentia ad aliud.

84. Assignatur autem ab authoribus duplex concretum, & duplex abstractum ipsi correspondens, vnum substantiuum,

Quid prædicatio formalis. Quomodo prædicatur aliquid per modum formæ.

Prædicatio formalis directa quid sit. Quid indirecta.

Rationalitas non prædicatur de animali directæ.

Quomodo concreta & abstracta de se inuicem prædicantur.

Quid concretum. Quid abstractum.

Quid est prædicatio.

Quid sit prædicatio identica.

uum, alterum accidentale. *Concretum substantiuum est*, quod significat aliquam formam, quæ in concreto possit solummodo prædicari in quid de aliquo, vt v. g. *homo; animal; albedo*; hæc enim nequeunt prædicari de aliquo prædicatione vera & directa, nisi in quid; si enim interrogetur de Petro in particulari quid sit, bene dicitur: est homo, est animal; si verò interrogetur qualis, non bene diceretur est homo, est animal; sed bene diceretur, est rationalis, est risibilis, est doctus, est albus, vnde rationale, risibile, doctum, & album sunt concreta accidentalia, quæ concreta sunt illa, quæ possunt prædicari de aliquo in quale. Vbi aduertendum quod non vocentur accidentalia, quia significant formaliter accedens, nā alias rationale non esset tale concretum; sed quia significatur nomine adiectiuo, & prædicantur per modum adhaerentium. *Abstractum autem substantiuum* correspondens homini est humanitatis; animali animalitas; albedini albedinitas, quæ sunt ipsæmet essentia constitutiua hominis, animalis albedinis. *Abstractum verò adiectiuum* correspondens albo est albedo, dulci dulcedo, iusto iustitia. Vbi aduerte quod abstracta adiectiua sunt concreta substantiua, nam albedo, quæ est abstractum albi, potest prædicari in quid de hac & illa albedine: quærenti enim quid est hæc albedo, monstrando ipsam, potest optime responderi, quod sit albedo, sicut potest dici, quod Petrus sit homo, quando interrogatur quid sit, & non potest prædicari in quale de aliquo. His animaduersis, sequentibus dictis explicabo quomodo de se inuicem concreta & abstracta prædicentur.

CONCLUSIO I.

84. *Concreta tam substantia quam accidentia possunt de aliis similibus prædicari prædicatione formali, quotiescunque abstractum vnius concreti est superius ad alterum concretum, de quo prædicatur, aut forma ipsius.* Hæc resolutio est communis, & patet, quia hæc prædicationes sunt formales: Petrus est homo, homo est animal, homo est rationalis, paries est albus, album est coloratum; & non ob aliam rationem quam ob rationem dictam in resolutione, ergo vera est resolutio.

Confirmatur, quia de quocumque verum est dicere, quod sit habens abstractum, de eo verum est dicere concretum talis abstracti, quandoquidem concretum secundum omnes sit idem, ac habens tale abstractum, v. g. album idem est ac habens albedinem, homo idem est ac habens humanitatem; sed de vno concreto tam substantiali, quam accidentali potest dici, quod sit habens abstractum alterius concreti, v. g. de Petro potest dici, quod sit habens humanitatem; ac colorem, ac risibilitatem, quæ sunt abstracta hominis, colorati, ac risibilis; ergo de Petro potest prædicari formaliter ac verè quod sit homo, coloratus, ac risibilis.

CONCLUSIO II.

85. *Abstracta nequeunt prædicari de iis, à quibus abstracta sunt, hoc est de suis concretis, nec è contra concreta de suis abstractis prædicatione formali.* In hoc etiam conueniunt omnes, & propterea hanc esse prædicationem formalem & veram; album est albedo, aut hanc, albedo est album. Ratio autem primæ partis, hoc est, cur abstracta non possint prædicari de concretis, est, quia cum prædicatione sit actus intellectus, & intellectus nequeat dicere aliquid de alio, nisi apprehendat illud in alio, quando autem apprehendit abstractum vt tale, & non apprehendit illud in alio, nequit prædicare illud de alio; ergo nequit dari prædicatione intellectualis abstracti de concreto, & consequenter nequit etiam dari prædicatione vocalis vera vnius abstracti de concreto suo, quia nequit dari prædicatione vocalis vera, cui non correspondeat prædicatione intellectualis, aut mentalis vera, saltem possibilis.

Ex qua eadem ratione potest probari secunda pars, nimirum cur concreta nequeant prædicari de abstractis suis, quia eo ipso quo quis concipit abstractum, vt tale, non concipit ipsum cum identitate, aut coniunctione ad aliud, à quo abstrahit; ergo nequit prædicare aliud

de ipso, vt sic concepto, quia impossibile est intellectum prædicare aliquid de alio, nisi quatenus concipit illa identificata simul, aut coniuncta cum se inuicem.

Confirmatur, quia quando dicitur quod albedo est album, sensus est quod albedo sit habens albedinem: hoc autem est falsum, quia non est habens albedinem, sed ipsamet albedo; & quando dicitur quod album sit albedo, sensus est quod idem est album ac albedo; sed hoc etiam falsum est, quia bene posset albedo ipsa, quæ afficit album, esse sine eo quod daretur album, id est aliquid habens albedinem: ergo non est idem esse, album & esse albedinem.

86. *Dices*: potest dici de quantitate, quæ est abstractum quanti, quod sit quanta, & de aliquo quanto, nimirum de hac quantitate, quæ dicitur per modum adhaerentis: ergo abstractum aliquod potest prædicari de suo concreto, & aliquod concretum de suo abstracto.

Respondet quidem Scotista, id esse particulare in quantitate, vt possit dici quanta, atque adeo regulam præmissam de prædicatione abstracti de concreto suo non esse vniuersaliter veram. Quam etiam doctrinam insinuare videntur Complutenses disp. 4. n. 40.

Sed hæc resolutio omnino displicet, quia si ratio conclusionis valet, omnino vniuersaliter valet, quia æque omnibus applicari potest; & si non valet, profecto nec in particulari admitti debet. *Melior & facilius respondetur* de quantitate, vt est abstractum à quanto, non prædicari quantum, prout est concretum eiusdem quantitatis; licet prædicari possit quantum, prout est concretum alterius quantitatis.

Pro quo intelligendo aduertendum, quod quantitas capi potest dupliciter, vno modo prout significat accedens illud absolutum, quod spectat ad prædicamentum quantitatis; & alio modo prout significat extensionem ad locum tantam vel tantam. Similiter etiam quantum habet duplicem significationem: primò enim significat habens quantitatem primo modo acceptam; & in hoc sensu quantitas sic accepta est abstractum ipsius, & nequit vere prædicari quantum in hoc sensu de quantitate in illo sensu, neque enim verum est, quod quantitas sit habens seipsam, vt esset necesse ad hoc, quod vere diceretur quanta in hoc sensu. Alio modo significat habens extensionem ad locum: & in hoc sensu de quocumque quod habet extensionem ad locum potest dici quod sit quantum: vnde cum quantitas accepta pro illa forma absoluta, quæ spectat ad prædicamentum quantitatis, habeat talem extensionem, potest vere dici de illa quod sit quanta, sicut de pariete dici potest, quod sit albus. Sed hæc prædicatione non est prædicatione concreti de suo abstracto, sed vnius concreti adiectiui de alio concreto substantiuo, in quo includitur tanquam forma abstractum concreti illius, quod prædicatur; nam abstractum quanti, quod prædicatur de quantitate, vt significat formam absolutam, non est illa quantitas sic accepta, sed potius extensio ad locum, quæ etiam vocatur quantitas.

87. *Dices*: hæc est vera prædicatione: Deus est Deitas, & è contra Deitas est Deus; ergo abstractum potest prædicari de proprio suo concreto, & è contra concretum de proprio abstracto; Deitas enim est abstractum Dei, & Deus est concretum Deitatis.

Respondetur in primis negando antecedens in sensu formali, quamuis admitti debeat in sensu identico.

Respondetur secundo magis ad propositum distinguendo consequens: quando abstractum est quid simpliciter infinitum, concedo consequentiam quando non est, nego consequentiam. Regula autem seu resolutio prædicta intelligenda est abstractis & concretis finitis, non infinitis simpliciter.

Et si quæras cur abstracta infinita potius quam finita, possint prædicari de suis concretis? *Respondetur* rationem esse, quam assignat Doct. 1. dist. 8. q. 4. sequunturque omnes eius discipuli, quod quodlibet prædicatum & subiectum infinitum exigit ex ratione suæ infinitatis coniungi cum quocumque, cum quo à parte rei identificatur; Vnde

Quid
concreti
acciden-
tale.
Quid
abstra-
cti sub-
stantiuu.
Quid
adiecti-
uum.

Quæ
concreta
substan-
tia &
adiecti-
ua de
aliis pos-
sunt præ-
dicari.

Abstra-
cta ne-
queunt
prædica-
ri de iis,
à quibus
abstra-
hunt, nec
concreta
illa de il-
lis ab-
strahitis.

Melior
respon-
sio.

Quomo-
do quan-
titas pos-
test dici
quanta.

Abstra-
cta infi-
nita pos-
sunt præ-
dicari de
concretis,
& è con-
tra, non
vero fi-
nita.

Vnde quando intellectus considerat aliquod prædicatum tale secundum suam rationem formalem abstractum, ut verbi gratia Deitatem, habet adhuc rationem identificandi ipsum cum illo, à quo abstrahitur propter infinitatem, quam in illo concipit, & hinc potest ipsum de illo prædicare, licet non posset ipsum prædicare de illo spectata ratione formali præcisa sine consideratione infinitatis.

88. *Dices denique:* hæc est vera prædicatio, ens est entitas, res est realitas, entitas est ens; & tamen nullum ex extremis est infinitum: ergo regula præmissa non valet, etiam in finitis vniuersaliter.

Quidam Scotista admittit antecedens, & excipit consequenter ab illa regula prædicata, & subiecta transcendentia, quæ ob transcendentiam suam habent talem inter se connexionem, ut possint omni modo de se inuicem prædicari siue in abstracto, siue in concreto. In qua doctrina videtur cum ipso cōuenire *Ioannes à sancto Thoma q. 5. art. 4. Verum hæc exceptio est valde difficilis*, quia eadem proptus est ratio quantum ad hoc de transcendentibus, & aliis, tam enim verum aut falsum est quod realitas sit habens realitatem, quam quod albedo sit habens albedinem, & consequenter tam verum aut falsum est, quod realitas sit res, quam quod albedo sit alba, modò tamen realitas sit abstractum rei, ut hic author supponit.

Itaque respondeo aliter negando illas propositiones seu prædicationes esse veras, si res & ens sint concreta, & realitas ac entitas sint abstracta eorum, propter rationes in præmissa regula confirmatione adductas. Dico autem: *si res & ens sit concretum, & entitas ac realitas abstractum*, quia licet quantum ad vocabula videantur esse talia, & possint etiam ut talia accipi, tamen possunt etiam esse omnino synonyma, ita ut idem ac eodem etiam modo per illa significetur, & sic accepta sine dubio possent prædicari de se inuicem prædicatione identica, sicut Petrus prædicari potest de se ipso, & ens de gladio.

CONCLUSIO III.

89. *Abstractum concreti superioris non potest prædicari de abstracto concreti inferioris, nec formaliter nec identice, verbi gratia animalitas non potest prædicari bene de humanitate.* Hæc resolutio est communior cum *Doctore 1. distin. 5. quæst. 1. num. 5. & dist. 8. quæst. 4. num. 25.* quem sequuntur præter suos *Ruinus* de prædicationibus *num. 14. Suar. disput. 6. Met. sect. 10. Salablanca disput. 5. quæst. 2. dub. 2.* & alij contra *Scotum quæst. 2. vniuers. Cantuarii cap. de differentia, Mercatorum cap. de genere, & alios*, quibus fauent *Complutenses disput. 4. n. 33. & Ioannes à Sancto Thoma q. 5. art. 4.*

Probat ur vnica, sed efficacissima ratione, quia impossibile est, ut intellectus prædicet vere aliquid de alio, nisi consideret illud, & concipiat ut inexistens illi, aut coniunctum cum illo; sed quando considerat animalitatem ut abstractum, non considerat ipsam, ut coniunctam cum humanitate; ergo non potest vlla ratione vere prædicare ipsam de humanitate.

Confirmatur, quia non magis coniungitur à parte rei animalitas cum humanitate; nec magis includitur in illa, quàm humanitas coniungitur cum homine & includitur in illo; ergo sicut non obstat illa coniunctio & inclusione humanitatis cum homine, nõ potest prædicari vere humanitas de homine, dicendo, humanitas est homo, ita non obstat inclusio animalitatis in humanitate, nõ potest prædicari vere de animalitate dicendo: humanitas est animalitas; & sane hoc argumentum à pari videtur etiam conuincere nostram resolutionem, nec credo facile posse dari disparitatem, quæ faciat ad propositum.

90. *Obiicies* pro aduersariis: hæc prædicatio est vera & formalis: albedo est color: sed tamen vtrumque extremum est abstractum; ergo prædicatio abstracti de abstracto est vera, quando abstractum, quod prædicatur est de essentia subiecti, ut contingit in hac prædicatione, humanitas est animalitas.

Respondetur distinguendo minorem: vtrumque extremum est abstractum respectu sui inuicem, nego minorem; respectu aliorum, concedo minorem, & nego consequentiam, quia non ex eo negamus veram esse prædicationem ani-

malitatis de humanitate in abstracto, quod vtrumque sit abstractum quomodocumque, sed quod illud, quod est prædicatum, sit abstractum ab illo, quod est subiectum: quod si color esset abstractum ab albedine, sicut est coloritas, profecto non posset prædicari de illo; non est autem sic abstractum, sed habet respectum albedinis ratione concreti substantialis, sicut animal habet respectum hominis, quamuis habeat rationem abstracti respectu colorati, de quo propterea nequit prædicari bene, neque enim bene dicitur, coloratum est color.

91. *Obiicies secundo:* hæc prædicatio est vera & formalis: hæc animalitas est animalitas, & hæc humanitas est humanitas; ergo & hæc humanitas est animalitas. Probat ur antecedens, quia Verbum diuinum assumptum est aliquam humanitatem, quæ est vere humanitas; ergo potest dici de aliqua humanitate quod sit humanitas, & idem est de animalitate. Probat ur etiam prima consequentia, quia si verum est dicere quod aliqua animalitas sit animalitas, descendendo & faciendo inductionem, potest denegari ad aliquam animalitatem, quæ sit humanitas, & de illa potest dici, quod sit animalitas; ergo si verum est dicere quod aliqua animalitas sit animalitas, potest dici quod aliqua humanitas sit animalitas, & consequenter quod humanitas sit animalitas. Hoc argumentum vtuntur *Cóplutenses & Ioannes à sancto Thoma.*

Respondetur, negando consequentiam, ad cuius probationem dico non posse vnquam perueniri ad aliquam animalitatem, quæ sit humanitas ut sic concepta, quia quantumuis concipiam quamcumque animalitatem in rerum natura sub conceptu animalitatis, & etiam sub conceptu singularitatis contrahentis ipsam, non debeat propterea concipere humanitatem, neque secundum se, neque ut coniunctam cum animalitate: ergo non potest intellectus perueniri ad aliquam animalitatem, de qua possit dicere quod sit humanitas; imo quamuis concipiendo humanitatem necessario deberet concipere animalitatem seu formalitatem illam, quæ vocatur animalitas, quia illa est constitutum intrinsecum humanitatis, sine qua propterea nequit humanitas bene concipi; & licet propterea conuinceretur & determinaretur ad iudicandum quod illa formalitas sit in homine, tamen non propterea posset dicere, humanitas; aut etiam hæc humanitas est animalitas, quia quando concipit illam formalitatem ut inclusam in humanitate, non concipit illam ut abstractam, sed potius ut concretam, concipit enim illam ut inclusam in humanitate, & consequenter, quamuis ut sic conceptam prædicet illam de humanitate, tamen non prædicat, neque potest prædicare ipsam de humanitate, ut concipit illam formalitatem in abstracto. Per quod, & fundamenta conclusionis, facile solui possunt reliquæ obiectiones, quæ opponi possunt ex ratione.

92. *Obiicies tertio* autoritatem *Philosophi 7. Met. dicentis* quod fissio pedis est quedam pedalitas, ubi videtur prædicare vnum abstractum de alio abstracto.

Respondetur pedalitatem non esse abstractum fissionis pedis, neque vilius quod possit prædicari de fissionis illa, sed ipsiusmet pedis; vnde quamuis prædicari possit de fissionis illa, non facit contra conclusionem. Ratio verò cur possit prædicari de fissionis pedis est, quia reuera est concretum substantiuum respectu ipsius, sicut indiuiduum est concretum respectu Petri, nam per pedalitatem intelligitur differentia constitutiva & distinctiva pedis; certum autem est, quod fissio pedis sit talis. Itaque sicut de rationalitate potest dici, quod sit differentia aliqua, quia reuera facit hominem differre, & sicut propterea differentia est concretum respectu ipsius secundum omnes, quamuis ipsamet rationalitas sit abstractum rationalis; ita etiã de fissionis pedis potest optime dici, quod sit pedalitas aliqua, quia reuera facit pedem fissum distinguere à pede nõ fissio, quamuis sit abstractum pedis fissi, de quo propterea nequit prædicari, neque enim valet dicere: pes fissus est fissio pedis; & hæc videtur mihi germana interpretatio istius loci Philosophi, cuius etiam in hac re potius autoritas esset neganda, si explicata

Nulla animalitas ut sic est humanitas

Abstractum concreti superioris nequit prædicari de abstracto concreti inferioris.

explicari non posset, quàm contrahendum rationibus conclusionis.

Distin-
ctio
Thomi-
starum.

93. Pro maiori autem complemento nostræ & communis resolutionis examinanda videbatur distinctio, quam afferunt aduersarij ad suam sententiam stabilendam. Dicit itaque *Fonsæc* 5. *Metaph. quest. 13. sect. 4.* & *Ioannes à sancto Thoma*, humanitatē posse accipi dupliciter: primò specificatiue, prout scilicet explicat naturā cum omni suo prædicato constitutiuo formali, pro abstractione, inquit, quasi sub modo concipiendi, & sic dicit posse de illa prædicari animalitatem in abstracto; secundò reduplicatiue, prout scilicet, explicat & reduplicat officiū abstractionis formalis, & sic negat de illa posse prædicari animalitatē. Et fortassis in re cōcidit cū hac distinctione alia, quam adducunt Complutenses dicentes abstracta substantialia, vt dicunt præcisionem à suis inferioribus, non posse de ipsis prædicari, quæ est nostra sententia; posse tamen illa abstracta sumi absque tali præcisione, prout confuse continent sua inferiora, & sic de illis ea prædicari posse.

Sed vtraque hæc distinctio, siue conueniant, siue non, mihi nullatenus probatur. Non prima quidem; quia, quidquid sit an conceptus humanitatis possit sumi specificatiue, an reduplicatiue, saltem animalitas, vt prædicari possit de ipsa, debet necessario concipi, & non potest concipi nisi vt concernens humanitatem, vel sine tali continentia: si primo modo cōcipiatur, poterit quidem prædicari, sed sic non est abstractum, sed concretum, nec significatur consequenter, vt sic, per animalitatem; aut si possit sic significari, animalitas erit vox æquiuoca habens aliquando vicē abstracti, aliquando concreti respectu eiusdem formalitatis, quod nullus dicit, & non facit ad rem, quia loquimur de illa voce, vt est abstractum, & non vt est concretum. Si secundo modo concipiatur, certum est, non posse intellectum vere illam prædicare de humanitate, cum non concipiat illam, vt coniunctam cum humanitate.

Hinc etiam improbat secundam distinctionem Complutensium, quia eo ipso quo illa abstracta sumerentur sine tali præcisione, sed vt continent confuse sua inferiora; iam non essent abstracta, sed concreta: non est autem questio vtrum cōcreta possint prædicari de inferioribus, sed vtrum abstracta possint sic prædicari.

94. Dices cum aduersariis: animalitas est abstractum à supposito, sed cum præcisione & abstractione à supposito potest bene manere continentia confusa inferiorum, & consequenter licet non possit prædicari de suppositis vllis, potest tamen de inferioribus, quæ non sunt supposita: sicut color, licet non possit prædicari de aliquo supposito colorato, quia abstrahit ab omni tali, potest tamen prædicari de aliis inferioribus, verbi gratia de hoc & illo colore: vt de albedine, & nigredine.

Contra, quia licet bene verum esset, quod si animalitas præscinderet à solo supposito, & non præscinderet ab inferioribus abstractis, posset prædicari de ipsis, tamen vt sic non esset abstractum respectu ipsorum: nos autem hic loquimur de ipso, vt abstracto. Deinde falsum est, quod de facto animalitas non abstrahat etiam ab illis inferioribus: ergo de facto nequit prædicari, quidquid sit de possibili, quando scilicet daretur ipsi alia significatio ab illa, quam de facto habet. Probatur antecedens, quia animalitas de facto non habet aliam significationem, quam quod sit illud, quod constituit animal, vt animal est: sed certum est, quod ista significatio prorsus abstrahat ab omni inferiori, quia de nullo inferiori potest dici quod sit ratio constitutiva animalis, vt animalis.

Confirmatur hoc: ideo animal dicitur de facto continere implicite & confuse sua inferiora, quia de quocūque suo inferiori, de quo prædicari potest, potest dici quod sit aliquod corpus potens sentire, quod est significatum animalis, ergo si animalitas contineat confuse humanitatem & brutalitatem, potest dici de humanitate, quod sit ratio constitutiva animalis, hoc enim à significatum animalis: sed nequit hoc dici de huma-

nitate, aut brutalitate: ergo animalitas non continet confuse humanitatem, aut brutalitatem.

95. Quæres autem circa hæc, an concretum abstracti superioris possit prædicari de abstracto inferiori, verbi gratia an animal possit prædicari de humanitate. Notat *Gaspard de la Fuente* difficultate 8. *quest. 6. art. 3.* existimat quod sic. Sed contrariū nobis longe verius videtur Ratio est manifesta: quoties prædicatū dicit aliquid, quod non importatur à subiecto explicite, aut implicite, nequit prædicatio esse vera, hac enim ratione nequit dici de anima hominis, aut corpore, quod sit homo, quia licet homo cōcipiatur, vt includens animā & corpus, tamen dicit aliquid quod non dicit corpus aut anima: sed animal includit aliquid, quod non importatur explicite, aut implicite ab humanitate, includit enim supposititalitatem, aut illud, à quo abstrahit humanitas, nimirum illud quod dicit homo super humanitatem, vt omnes fatentur: ergo nequit prædicari de humanitate.

Confirmatur, quia vere humanitas, vt sic, est pars istius animalis, quod de ipso prædicari potest: ergo illud animal nequit prædicari de humanitate: sicut nullum totum potest prædicari de parte sua in abstracto.

CONCLUSIO IV.

96. *Secundæ intentiones eodem modo possunt prædicari de se inuicem, ita scilicet vt superiora de inferioribus possint prædicari in concreto, non in abstracto; nec vnum abstractum superius de alio inferiori; unde verum est dicere quod genus sit vniuersale, non vero quod sit vniuersalitas, nec genericitas sit vniuersalitas.* Probatur à paritate rationis, nihil enim interest quantum ad hoc, quod prædicata sint primæ vel secundæ intentionis: sed quod concipiuntur cum ordine & connexionione ad subiectum.

CONCLUSIO V.

97. *Secundæ intentiones in concreto prædicari solum possunt de naturis, quibus conuenit prædicabilitas ipsis correspondens, non vero de inferioribus illarum naturarum, neque de ipsismet naturis in abstracto: verbi gratia secundæ intentio generis in concreto, hoc est, ipsum genus prædicari potest de animali dicendo: animal est genus non vero de animalitate, neque de homine aut Petro, quæ continentur tanquam inferiora sub animali.*

Hæc resolutio est communis, & ratio prima partis est, quia reuera animal est habens talem prædicabilitatem, qualem debet habere genus: ergo potest dici de ipso, quod sit genus, quandoquidem genus nihil aliud sit, quam quod habet talem prædicabilitatem. Ratio secundæ partis est, quod animalitas non habeat talem prædicabilitatem, quandoquidem ex dictis abstractum superioris nequeat prædicari de inferioribus concretis aut abstractis. Ratio denique tertiæ partis est similis, quia scilicet nec homo, nec Petrus possunt prædicari de pluribus differentibus specie: ergo non habent prædicabilitatem generis & consequenter non possunt dici genus.

98. Dices: Potest dici quod animal sit genus, sicut potest dici quod substantia aut viuens sit genus, sed tamen animal est inferius ad substantiā, & viuens: ergo, secundā intentio, quæ dicitur de superiori, potest dici de inferiori.

Respondeo distinguendo consequens: ex eo quod sit inferius præcise, nego consequentiam; ex eo quod habeat aliam rationē particularem, ratione cuius possit illa secundā intentio de ipso, tam bene, quàm de superiori prædicari, concedo consequentiam. Sed hoc non est contra resolutionē propositam, in qua tantū negamus secundas intentiones quæ prædicari possunt de superioribus, posse de inferioribus prædicari ex eo quod sint inferiora; & quod primæ intentiones superiores possint de ipso prædicari. Itaque non ideo animal dicitur genus, quod sit contentum sub viuente, & quod viuens dicatur genus, quia aliās homo diceretur, quia est inferius ad animal, & quia animal dicitur genus: sed ideo dicitur genus, quia prædicari potest de pluribus speciebus inferioribus, vt est euident, quod si sic nequireret prædicari, non diceretur genus plusquam homo.

99. Dices

Concretum abstracti superioris nequit prædicari de abstracto inferioris concreti.

Secundæ intentiones eodem modo possunt prædicari de se inuicem.

Secundæ intentiones in concreto solum possunt prædicari de naturis quibus conuenit prædicabilitas ipsi correspondens.

Dices secundo: quidquid cōuenit superiori, debet cōuenire inferiori, hinc enim optime colligitur, quod si animal, quod est superius ad hominem, sit substantia, aut viuens, aut corporeum, quod homo & equus sint etiam talia; ergo si prædicabilitas de pluribus speciebus cōueniat animali, etiam cōueniet homini cōtento sub animali, & cōsequenter, si omne illud, cui cōuenit talis prædicabilitas, sit genus, etiā homo erit genus contra dicta.

Aliqui videntur sibi tollere hanc difficultatem recurrendo ad secundas intentiones & relationes rationis, quasi scilicet in illis falleret illa regula: Quod cōuenit superiori cōuenit inferiori: quæ tamen vera est vniuersaliter in primis intentionibus, seu in prædicatis, quæ sunt à parte rei ante opus intellectus, seu quæ non sunt secundæ intentiones aut relationes rationis.

100. *Sed contra,* quia habere aptitudinem remotam & fundamentalem ad fundandam secundam intentionem seu genericitatem logicam, est prædicatā primæ intentionis & non secundæ intentionis, nec ens rationis secundum hos authores; sed illud cōuenit animali; ergo deberet cōuenire homini & Petro non obstante hac responsione. Subsumo: sed cuiusque cōuenit ista aptitudo remota & fundamentalis, ipsi cōuenire potest secunda intentio generis; ergo potest cōuenire Petro & homini, quod est intentum obiectionis, & contra communem resolutionem præmissam.

Cur prædicabilitas cōueniens superiori, non cōueniat inferiori.

101. *Respondetur ergo aliter,* distinguendo antecedens: quidquid cōuenit superiori, debet cōuenire inferiori; hoc est reperiri in illo sicut ipsum superius reperitur in illo, concedo antecedens; hoc est debet ita cōuenire illi, ut possit prædicari de illo, nego antecedens: ad cuius probationem dico non propterea præcise prædicari substantiam de homine, & viuens, quod prædicetur de animali quod est superius ad viuens: sed quod nihil sit in homine quod impediat quominus ut reperiuntur in ipso illa prædicata, ita etiam prædicari possint de ipso: unde nego consequentiam, quia licet illa prædicabilitas reperitur in homine simul cum animalitate, cum qua identificatur (loquendo saltem de prædicabilitate remota) tamen est aliquid in homine, ratione cuius illa prædicabilitas nequeat de ipso prædicari, nimirum incommunicabilitas suæ differentie, hoc est rationalitatis, ad alias differentias essentielles. Itaque quemadmodum Pater æternus dicitur sapiens, ex eo quod habeat essentiam diuinam, cui identificatur sapientia tanquam attributum eius, & tamen non dicitur identificabilis Filio, licet habeat eandem essentiam diuinam, quæ habet illam identificationem secum necessariò connexionem; & hoc oritur ex eo quod Pater ratione paternitatis, quæ est constitutum eius, sit distinctus realiter à Filio; ita etiam licet homo dicatur substantia, quia includit animal, quod est substantia, non debet dici prædicabile de multis speciebus ex eo quod includat animal quod est sic prædicabile, quandoquidē habet rationalitatem impediētem prædicabilitatem illam eius. Et ratio est, quia, ut homo sit prædicabile de multis specie distinctis non sufficit quod includat aliquid sic prædicabile, sed requiritur quod ipsemet secundū se totum sit sic prædicabile, quod ipsi repugnat: sicut non sufficit homini ut dicatur pars, quod includat partē, sed ipsemet totus debet esse pars: ut autē dicatur sapiēs sufficit quod includat sapientiā, aut aliquid includens sapientiā.

QVÆSTIO VIII.

Quot sunt vniuersales species.

102. *Non* excludo ab hac quæstione vniuersale metaphysicum, ut faciunt multi: quamvis enim naturæ & res, quæ possint denominari vniuersales tam metaphysicè quam logicè, sint tot diuersarum specierum, ut non possit numerus earum à nobis assignari; tamen, ut secundum quod sunt vniuersales logicè, possunt reduci ad certum numerum, ita etiam secundum quod sunt vniuersales metaphysicè. Quia verò omnes Doctores conueniunt in numero vniuersalium, licet non conueniant in modo explicandi, non sunt sententiæ diuersæ hic proponendæ, sed breuiter & clare no-

stra sententia proponenda.

Prius tamen claritatis causa aduertendum est, nos hic agere de *prædicabilibus incomplexis*, & hinc excluditur ab hoc numero definitio rei, quæ quandoquidem constat genere & differentia, est terminus complexus, non incomplexus: *De prædicamentibus*, & hinc excluduntur transcendentia, ut ens, vnum, verum, bonum. *De determinatis*, & hinc excluditur individuum vagum. *De vniuersis*, & hinc excluduntur æquiuoca, & analoga non vniuersa. *De completis* saltem realiter, & hinc excluditur anima rationalis. Dico autem *realiter*, quia differentie metaphysicæ non excluduntur, & non sunt incompletæ formaliter; sed quia sunt completa realiter, hoc est identificata realiter entibus completis, comprehenduntur inter prædicabilia.

Quod si quis quærat, cur solum comprehenduntur illa prædicabilia determinata iam explicata, & excludantur cetera, sufficere debet pro ratione, quod huiusmodi prædicabilia ponantur in prædicamentis, in ordine ad quorum intellectionem agebat Porphyrius de prædicabilibus: & per hæc solui possunt plures obiectiones, quæ contra numerum quinarium Prædicamentorum opponi possent, quas propterea non erit necessarium expresse proponere.

CONCLUSIO I.

103. *Quinque tantū sunt species vniuersales metaphysicæ, ut talis formaliter.* Probatur, quia vniuersale metaphysicum formaliter consistit in vnitatem & aptitudine existendi in multis modo supra explicato: sed quinque modis diuersis potest inexistere multis; ergo quinque sunt species eius. Probatur minor, quia omnis natura communis apta est inexistere pluribus, aut essentialiter, aut accidentaliter: si accidentaliter, aut ut accidens separabile, & sic erit accidens; aut ut inseparabile, & sic erit proprium: si essentialiter, aut ut tota essentia, aut ut pars essentialis; si ut tota essentia, erit Species; si ut pars essentialis, aut ut pars essentialis contrahibilis, & sic erit Genus; aut ut pars essentialis contrahens, & sic erit Differentia. Sed hi sunt quinque modi diuersi inexistendi, & non est alius modus inexistendi pluribus, qui non reducat ad hos: ergo quinque tantū sunt modi distincti, quibus natura communis possit inexistere pluribus.

Obiicies primo: Natura Angelica, humana, equina, bo- uina, elephantina, passerina sunt naturæ communes vniuersales metaphysicè specie distinctæ, & sunt plures quam quinque; ergo dantur plures species naturæ vniuersales metaphysicè quam quinque.

Respondeo distinguendo antecedens: sunt specie distinctæ secundum modum inexistendi pluribus, nego antecedens; nam eodem modo naturæ humana, equina, bo- uina &c. sunt aptæ inexistere pluribus, nimirum tanquam tota essentia istorum plurium: alio modo, transeat antecedens.

104. *Obiicies secundo:* Non potest dari aliquid commune omnibus naturis vniuersalibus metaphysicè; ergo non debet dici quod sint quinque species distinctæ vniuersales metaphysicæ. Probatur, quia species distinctæ habent aliquid commune, in quo conueniunt. Probatur antecedens, quia non est maior ratio quare daretur aliquid commune naturæ vniuersali substantiali, & accidentalī, ut aptæ sunt inexistere pluribus, quā naturæ vniuersali positiuo, & naturæ vniuersali negatiuo, seu rationis: sed his nō potest dari aliquid commune, ergo neque illis.

Respondeo distinguendo antecedens; secundū quod sunt aptæ inexistere pluribus, nego, secundū aliā rationem, transeat, & similiter distinguo minorem probationis.

Camerarius disp. 7. Logica contra communem sententiam tenet non dari nisi duo vniuersalia, nimirum Genus & Differentiam, quamvis dentur quinque prædicabilia. Fundamentum est quia vniuersale debet esse quid vnum abstractū ab inferioribus, in quibus multiplicatur, & hinc si vna albedo poneretur in multis subiectis, & abstraheretur ab illis per intellectum, non esset vniuersalis cum sit singularis: sed solummodo genus & differentia habet inferiora, in quibus sic multiplicaretur.